



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

De Iustini ad Antonium Apologia. Cap. XI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

*De Iustini ad Antoninum Apologia.*

CAP. XI.

Constat item eundem Iustinum, tum contra Gentes librum accuratissimè lucubralle, tum alios nonnullos, qui Apologiam pro nostra fide continent, composuisse: quos Imperatori Antonino, cognomento Pio, & Senatui Rom. dedicauit. Etenim Romæ est id temporis commoratus. Atque in eadem Apologia qui sit, quo genere, & quo loco natus, explicat his verbis. Imperatori Tito Aelio Adriano Antonino Pio, Cæsari Augusto: & verissimo filio adoptiuo Philosopho, & Lucio Philosophi Cæsaris natura filio, & Pii adoptiuo, humanioris literaturæ fautori, sacro sancto etiam Senatui, & P. Ro. pro his, qui ex vniuerso hominum genere immeritò planè & intultè rapiuntur in odium, ignominisq̃ vexantur, Iustinus Prisci Bacchij filius, exigente Flauia Neapolis vrbs Syriæ Palestinæ, vnus ex illorum numero, supplex obnixis præcibus hanc meam petitionè offero.

*Epistola Antonini, Ad populum Asiæ de religione nostra.*

CAP. XII.

Ab alijs item fratribus in Asia degentibus, qui varijs cuiusque modi contumelijs, iniurijsq̃ à populo prouinciali erant magnopere onerati, idem Imperator rogatus, tale edictum in communi concilio Asiæ diuulgari præcepit.

*Imperator Cæs. Marcus Aurelius Antoninus Augustus,**Armenius Pont. Max. Trib. Potest. xv. Cof. iij.**Communi concilio Asiæ. S.*

Noui equidem diis curæ esse, ne tales homines impuniti in obscuro lateant: nam illi ipsi sat scio, de iis, qui cultum ipsis tribuere recusant, sunt multo acerbis supplicium sumpturi, quàm vos. Ac quibus hominibus iam ipsi grauem exhibetis molestiam, & tanquam impios, atque à deorum cultu auersos insimulatis, eorum planè, quam habent, magnopere confirmatis religionem. Illis enim magis in optatis est, vt in crimen adducti, mortem

Iust. fo.  
163.